Heinsius.

10/6

No 25

Constantino Hugenio C.F. Viro Ill.

Nicolaus Heinsius S.P.D.

Epistolari officio non defuissem tanto tempore, nisi morbus perincommodus totum hunc mensem perire mihi voluisset, dum lecto adfixum modis in: dignis exercet. quae causa est, Hugeni Illustris, cur nec Amstelaedamum licuerit mihi excurrere hactenus, etsi pridem meditanti hoc iter, si non alia de ratione, saltem ut negotium de libris tuos in usus comparatis conficerem, quod trahi ac procrastinari pudendum duco. Ceterum cum vir sit honestus Hil: lesbergius, et locuples, de dolo malo nihil est quod subvereamur, sed diligentiorem sese praestaret vellem. Decumbentem me bis convenit nuperius: primo con: gressu nummos abstulit pro libris debitos non sine chirographo tamen tradito, quod penes me asserva: tur: Proximis diebus cum redijsset, multis excu: savit moram, coniectâ culpâ in suos, qui librariam hanc supellectilem, cistae non capienti, deposuissent, credidissent: hoc peccatum ut corrigatur operam sese daturum, simul atque domum redijsset. Opinor integrum mihi fore per valetudinem iam meliusculi sese habentem, ut cis dies non multos Amstelaedamum liceat con:

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 25
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0466

tendere. quando, si promissa eius interea non comparent, haud patiar, ut exspectationem nostram diutius frustretur. Catalogum Duysianae bibliothecae iam sub praelo desudare typographico est rumor: eius exemplar, ut primum prodierit liber in lucem, ad te perferendum mox curabo: etiam alios librorum indices, si qui post exactas ferias forenses et Academicas, aut hic aut in vicinia apud Leidenses in lucem prodibunt. Ex Wallio nostro sum edoctus, apud Mechlinios in Brabantia Zypaei nescio cuius bibliothecam libris rarioribus satis instructam hastae subijciendam propediem fore: cuius indicem videre gestio. De itinere Italico cogitabam, fateor, nulla tactus ambitione, ut qui me studijs totum tradere ac liberali otio destinarim, sed ut animum a litis forensibus nauseantem ac deiectum honesto oblectamento excitarem ac refocillarem. Maritimae iactationi nec parem ferendae memet agnosco, nec viam illam nisi terrestri itinere unquam sum decursurus. Vale, Vir nobilissime, et me in tuis, quod facis, perge numerare. Hagae Comitum pridie Kal. Sextil. Gregor.

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 25
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0466

non
n noſ-
tiana
pogra.
ſimum
dum
ces,
cade-
derſes
n edoc.
ypai
s ſatis
fori:
Italico
, ut
otio
libus
gento
ectatio.
nec
m ſum
c in
a

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 25
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0466

© Koninklijke Bibliotheek
KA 42a, nr. 25
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0466